

www.e-rara.ch

**Reverendiss. ac Ampliss. Domini Domini Danielis Antonii Schindler ...
Cura Salutis Concreditæ Sibi Probativæ, Sive Ex dictaminibus S.
Scripturæ, SS. Patrum, Theologum, Ascetarum, Regulæ Sacræ, & ...**

**Schindler, Daniel Anton
Augustae Vindelicorum, 1749**

Zentralbibliothek Zürich

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-141390>

§. I. De confessariis.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]



TRACTATUS II.

DE

PROFICIENTIBUS.

EX partitione hominum, quam supra fecimus per respectum ad statum, in quo Religiosi nostri inveniuntur; vel etiam ad id, quod ab Iplis secundum hunc statum desiderari posset; in secunda classe diximus esse *Proficientes*. Quorum subrepartitio uti sua copiosiora obtinet membra; ita amplio- rem de iis exposcit Tractatum, in plures, quam præcedens, Paragraphos dividendum; quem proinde, ut ordinatè incipiamus, prosequamur, & tandem finiamus: sit

§. I.

De Confessariis.

I. Cùm Ordinis Nostri sublimiora studia directè ordinentur ad efformandos aptos

Sacra-

Sacramentorum Ministros, neque ea in sola Theoria subsistant, sed ad praxim, videlicet debite administrandorum Sacramentorum dirigantur; quatenus Sanctæ Matri Ecclesiæ Alumni Nostri talibus studiis bene exculi juxta sibi ex Instituto incumbentem vitam Activam utiliter deserviant; Sacramentum autem Pœnitentiæ scientiam non minùs ac prudentiam præ cæteris in sui absolutè bona administratione exposcat, ac desideret hinc non mirum, quòd persolutis documentis iis, quæ Studentes tangebant, nunc ad illa, quæ scitu Confessariis summè sunt necessaria procedamus, Eosque, qualiter in praxi progredi habeant, instruere contendamus. Exordiendo ergo classem Religiosorum Nostrorum secundam ab iis, qui immediatè consequenda habent ea, quæ de *Incipientibus* ultimò diximus, ad tam altum & sublime competenter perficiendum Ministerium, quod juxta *Cap. Nova de pœnit. & Remiss.* nec concessum est Angelis, nec Angelorum Reginae Virgini sacratissimæ, etiam *Tractatum* secundum prosequimur, atque cuncta ea, quæ dicturi sumus imposterum, ad procurandum Ecclesiæ tantò accuratius Ministerium ab iis dirigemus, quos taliter discretos ac doctos

Nostra

Nostra Sacra Statuta *cap. VI. Dist. I.*
 esse volunt, ut pro casuum varietate
 solvere sciant & ligare. Dixerat quon-
 dam Salvator noster Christus: *Pater*
dedit potestatem Filio iudicium face-
re, quia Filius hominis est. Joannis 5.
 Quod ipsum & testificatus est Petrus:
Huic omnes Prophetæ testimonium perbi-
bent, remissionem peccatorum accipere per
nomem Ejus qui credunt in Eum. Actor.
c. 10. Hanc tamen admirandam potesta-
 tem Christus communicavit Confessa-
 riis, plenariam eis conferens Authori-
 tatem judicandi vivos, ligandi atque sol-
 vendi peccata eorum unà cum clavibus
 ad referendam Regni Cælestis januam.
 Et verò, quis ut oportet hujus tanti Mi-
 nisterii eminentiam explicare valebit?
 modicum in modum Eam adumbrave-
 rat Psaltes Regius *Psal. 121.* dicens:
Quia illic sederunt sedes in iudicio, sedes
super domum David. Super domum Da-
 vid, id est, in Ecclesia DEI, quæ veri
 David Christi Domini sedes est, sederunt
 sedes ad faciendum iudicium. Sedes illæ,
 aliæ non sunt, quàm sedes Confessario-
 rum, seu Confessionalia; nedum, quia
 occupantur à Confessariis ad judicandas
 in secreto conscientias, verum etiam,
 quia ipsiusmet Christi, ut veri Numinis,
 throni sunt; in quibus Divina Ipsa Ma-
 jestas

jestas principaliter judicat, peccatâque
 remittit, instrumentaliter verò, & ut
 Vicarius, quilibet Confessarius. Mirum
 sane ac admiratione dignum videbitur,
 quòd hæc sedes sedere, sive collocari di-
 cantur super universam Ecclesiam per
Domum David significatam; verumta-
 men res est verissima: cum nulla adeò
 excelsa sit in Ecclesia dignitas, super
 quam non emereret tribunal conscientie,
 Confessariique subsellium. Sub-
 sunt namque ac prosternunt se Ei plebei
 & Nobiles, Reges & Principes, ignari
 pariter ac sapientes; subsunt Episcopi
 & Cardinales, imò, quod plus est, sub-
 est Ei Ipse Summus Pontifex Christi in
 terris Vicarius, & in Ecclesia DEI su-
 premus Judex. Omnes, nemine ex-
 cepto, semel per januam baptismi Ec-
 clesiam ingressi comparere habent in
 iudicio isto, obligati ex jure Divino se
 post lapsum reos constituere atque
 commissarum culparum veniam à Con-
 fessariis impetrare. En quæ subli-
 mior dignitas? quæ dignior eminentia?
 ad pedes Confessoriorum prostratos &
 humiliatos videre Pontifices Reges ac
 Imperatores? Ast! quantò hujus sacro-
 sancti Tribunalis major est excellentia,
 tantò ampliora penes illud se produnt
 Confessoriorum pericula & discrimina ex
 cul-

culpīs, quæ in eo facile committuntur; jam ex culpīs commissis per ignorantiam quæ in Confessario non habet excusationis locum; quemlibet siquidem scire oportet, quæ ad suum spectant munus; jam per imprudentiam, jam per omissionem ac dissimulationem; & quod caput est omnium; omnes ei cujusvis etiamnum pœnitentis imputabuntur culpæ, cui absolutionem indubitè fuerat impertitus. Posteaquàm Josaphat Rex pientissimus *Constituit Judices terræ in cunctis Civitatibus Judamunitis per singula loca*, teste sacratâ paginâ. 2. Paralipom. c. 19. præcepit Judicibus: *Videte, ait, quid faciatis: Non enim hominis exercetis judicium, sed Domini; & quodcunque judicaveritis, in vos redundabit. Sit igitur timor Domini vobiscum, & cum diligentia cuncta facite.* Si hoc illis, qui exterioribus solummodò, minorisque periculi rebus judicaturi erant dictum est; quid dicere non oportebit obsecro de Confessariis in interiori conscientiæ foro Judicantibus? Qui, quod horribile dictu est, circa materias delicatissimas, ac intricatissimas pœnitentium æternæ subsunt damnationis periculo. Quis timor hic minor debito, aut quis quando excedere poterit in diligentia? Magna igitur,

& multiplicia valdè sunt Confessariorum pericula, plurima discrimina; ad quæ accuratiùs evitanda, cùm singulari cautelâ opus sit ac diligentia; nonnulla supeditabo remedia, depurata & à Theologis majoris etiamnum Notæ in sequentibus producam dictamina ac documenta.

II. Primum documentum ergo, dictamenque pariter ac remedium esto; ut quisquis Confessionibus cujuscunque hominum status exponendus, suis etiam jam absolutis sublimioribus studiis, Theologiæ moralis diligenter pervolvat libros, probatorumque Casistarum codices, unâ cum illustrationibus Canonico-Theologicis; libri quandoquidem similes suffragantur maximè, ut quis Confessariorum suis competenter obligationibus satisfaciât, & ea, quæ sui sunt muneris, debite peragat. Hypocrates medicis suis in Aphorismis primum hunc posuit: *Ars longa, Vita brevis*: quasi nimirum breve nimis humanæ judicaret vitæ spatium ad perdiscendum totum id, quod Ars requirit medica. Si hoc in corporum verificatur pharmacis; quid dicendum de animarum medicinis? quarum ægritudines, dolores, paroxismi profectò non sunt pauciores numerò, nec inferiores periculò

culô. *Erudimini qui iudicatis terram* dicebat Propheta Regius *Pfalm. 2.* Si igitur eruditio tam necessario requiritur in illis, *qui iudicant terram*, quorum solummodò causas mundi fallacis iudicando componere interest; quid alferendum de his, quibus causas Cæli iudiciô suô dirimere, ac in litibus interminabilem æternitatem concernentibus sententiam ferre incumbit? profectò non una, sed multocies repetita applicatio est necessaria, ut quis obligationibus *Medici, Judicis, & Doctoris*, quæ in negotio Auricularis Confessionis ex parte Confessarii occurrunt, plenè & absque animarum discrimine satisfaciat, seseque à peccati lethiferi periculo eliberet; quod juxta communem Theologorum calculum Confessariorum quilibet, qui scientiam debitam ad obeundum tam grave munus vel necdum habet, vel habere negligit, non secus incurrit, quàm Medicus si curet, vel Judex si causas dirimat, non habitâ priùs scientiâ ad rectè iudicandum, aut curandum necessariâ. Nec eò recurrere sufficit, quòd minùs eruditi, plerumque humiles esse ac dociles, atque nè exerrent, doctiores se consulere soleant; quia licèt id in uno alterove casu posset contingere, ut hoc
tamen

tamen in & ex omnibus Confessionibus fiat, prorsus non video. Nam non obstante, quòd hujuscemodi Confessarius in præsentia Illius, quem consulit, dati capax videatur esse consilii; quia verò excultus non est; mox ut à Consultore recesserit, traditorum principiorum obliviscitur, neque etiam remedia, uti opporret, applicare novit; non secus, ac olim Saul, qui & inter Prophetas ut refert *lib. 1. Reg. c. 10. v. 18. Prophetavit in medio Eorum*, at ubi Eos deseruit, prophetare desit. Confessarium proinde parùm aut nihil plane excusare poterit expetitur à Doctoribus consilium, nisi simul & Ipse propriâ Minervâ, assiduòque studio ac diligenti applicatione uti sciat, mentémque suam excolat; multùm namque expedit, ut oculis propriis, non verò alienis quis videat, nè aliàs cæcus cæco ducatum præbens, uterque cadat in foveam. Hinc non immeritò Ordinis Nostri Canonici stratuta *Dist. 1. cap. 6. §. 5. & 6. conformiter ad Concil. Trident. Sess. 14. c. 8. De pœnit.* indispensabiliter & principaliter requirunt: *ut Sacerdotes Domini ad Confessiones excipiendas constituti, quantum Spiritus, & prudentia propria suggesserit, pro qualitate criminum,*

Et Confitentium facultate salutares & convenientes satisfactiones injungant; nè si fortè peccatis conniveant, & indulgentius agant cum pœnitentibus, levissima quædam opera pro gravissimis delictis injungendo, aliorum peccatorum participes efficiantur: habeant præ oculis; ut Satisfactio; quam imponunt, non sit tantùm ad novæ vitæ custodiam, & infirmitatis medicamentum, sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam & castigationem. Hæc & similia an condūcenter observari, executionique mandari possent, si non sufficienter excultâ prudentiâ & scientiâ propriâ, solummodo alieno consilio, & quidem absentis Confessarius inniti deberet, non est, qui efficaciter persuadeat, cùm id nemo Probatorum Theologorum admittat, nec bonam intentionem solam pro opere exigit ab eo, cujus personæ industria specialiter electa fuit, in acceptis habeat, ut suo muneri quem satisfecisse pronuntiet, quousque eam imperare, atque proportionata ad finem applicare media, qualia sunt: Studere, & quæcunque ad munus Confessarii spectant, bene intelligere, in Pœnitentiario non videat. Undè Divus Hieronymus in cap. 4. ad Ephes. bene ad rem pronuntiavit,

clavit dicens : *Neminem in Ecclesia, quamvis Sanctus sit, Pastoris Nomen assumere debere, nisi possit docere, quos pascit.* Doctrina hæc conformissima est sensui Magni Doctoris gentium, qui *cit. cap. ad Ephes.* ita scripsit : *Ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Evangelistas, alios autem Pastores & Doctores in opus Ministerii.* Ubi vides Divum Paulum Apostolum alios *in opus Ministerii* divisim recensuisse, *Pastores verò & Doctores* junxisse simul. *Non enim,* ait præcitus Ecclesiæ Doctor, *alios Paulus posuit Pastores, alios & Doctores, sed ut qui Pastor est, esse debeat simul & Doctor.* Quid refert ad munus Confessarii, utrùm Iste vel Ille homo sit Religiosus, sanctus, humilis ac docilis, insuperque habeat intentionem optimam; quid inquam id refert? si pro talento suo exiguo occurrentibus casibus & difficultatibus nec ligare sciat, nec solvere, uti expedit, status pœnitentis exigit, & conscientia requirit? Ex quo

III. Colligitur etiam, Prælatos & Abates, non obstante, quòd Religiosi in examine Ordinarii taliter qualiter substituerint, & ad conscientiam Superioris

præsentantis pro Jurisdictione approbati
 sint, gravissimè in DEUM & Ecclesiam de-
 linquere, si scienter Religiosis suis suffi-
 ciente scientia ac doctrinâ destitutis,
 sive suorum, sive extraneorum Con-
 fessiones excipiendi facultatem præbeant,
 vel impertitam non revocent, quousque
 sufficienti studio tanti se muneris capa-
 ces non reddant. Ratio enim hujus in
 promptu est: quia si gravis exorbitan-
 tia est, dum quis subordinatorum in-
 sufficiens confessiones excipiat; plus
 ultrà erit gravior, si Prælatus id fieri ju-
 beat, aut ad minùs id ipsum permittat;
 Non unum sanè duntaxat erit peccatum,
 simplèxque reatus, verùm & totuplex,
 quot ignorans Confessarius defectu scien-
 tiæ errores commiserit, cum omnes illi,
 quasi Prælato voluntarii censeantur esse
 in causa, id est in illa licentia ac per-
 missione, quam Confessario tali conce-
 dere præsumpsit. A talibus, totuplici-
 búsque reatibus ut se Prælati eliberent
 tantò assècuratius, suadendum venit,
 quatenus Confessarios maximè Juniores
 singulis denuò examinari curent trienniis,
 atque pro qualitate adinventæ scientiæ
 aut ignorantæ approbent vel reprobent,
 hac viâ adminùs impetraturi, ut Con-
 fessarii semel jam approbati & jurisdic-
 ctio-

tionati libros Moralistarum non penitus deponant, sed jugiter eos volvunt & revolvant, ac se in statu sufficientis scientiæ & doctrinæ conservent ad plenè suo satisfaciendum ministerio, quod ex voluntate Superioris eis imponitur. Nec indè est; ut quis me de rigore nimio culpet & insimulet; cùm in administrandis Sacramentis nemo tam tutè procedat, ut sanctitatis exposcit ratio; nec loci hujus sit pietas, sed potiùs omnimoda integritas, quam æternæ salutis negotium per se desiderat.

Nicodemus Princeps Ille & Magister Judæorum, eorundem timore percussus, *hic venit ad JESUM nocte Joannis 3.* ad conferendum nonnulla cum Eo, atque inter discurrendum tot tantisque in se prodidit ignorantias, ut à Christo reprehendi sequentibus verbis meruerit: *Tu es Magister in Israël, & hæc ignoras? loc. cit.* Notat hìc præclare aurea Divi Chrysostomi penna *Homil. 25. in Joann.* Quòd in hac occasione Divina Christi Majestas *indignatione mota sit, & vehementiùs Nicodemum tetigerit, ac confuderit, non malitiæ, sed potiùs stultitiæ & ignorantia hominum accusans.* Itaque quem JESUS benignè suscepit, hunc adeò clarè, & acriter

corripuit; quia vel unius Baptismalis aquæ mysterium nondum bene penetravit, minusque intellexit. Tali profectò modò Prælatorum quilibet cum iis, qui ex munere *Magistri in Israël*, id est Confessarii in Ecclesia esse censentur, quæque ministerii sui sunt, ignorant, procedendum habet; arguat præprimis eos, necesse est, dicendo: *Vos estis & esse debetis Magistri in Israël, & hæc ignoratis?* Sique ignorantiam ad arguitionem Paternam, diligenter discendo ac studendo, effectivè vicerint, misericorditer cum eis dispenset, ut in munere coopto perseverent; sin verò aliter repererit, ab exercitio clavium eosdem suspendat tandem, usquedum se emendent, seseque sufficienter qualificados pro tanto munere prodant. Idque ideo, nè ineptos & inqualificados Tribunali tam sublimi admovendo, sibi, & admotis, laqueum diaboli injiciat, compluribusque pœnitentibus locò salutis æternæ, damnationem perpetuam culpâ suâ superinducat.

IV. Documentum secundum ex sanctitate & sublimitate ministerii hujus consequens est; ut Confessarii hoc suum munus obeant ex fine ac motivo purè supernaturali & principaliter ad majorem

DEI

DEI gloriam, ad procurandam animarum salutem, & ad obediendum Prælati, eos in hoc tam sublimi Tribunali servire jubentibus. Ratio Documenti hujus est adeò manifesta, ut ulteriori non egeat exhibitione, quàm ex ejusdem intrinseco desumpta sine. Finis quippe institutionis sacri Tribunalis hujus est supernaturalis, sicuti & ipsa potestas, quâ Confessarius utitur. Igitur contra debitum foret ordinem, si hic officium & ministerium suum ad alium, quàm supernaturalem finem detorqueret; cùm etiam bonum supernaturale, & quidem à fortiori, oporteat esse bonum ex integra causa; aliàs ex intercurrente causa finali non sic proportionata facilè ex parte Administrati vitandum. Cùm itaque documentum hoc judiciò meò tam clarum sit, ut illud comprobare pluribus, supervacaneum existimem; non tamen superfluum, quinimò perutile futurum censeo, ut nonnullæ ex eò promanantes accuratè notentur deductiones, quarum prima est; minimè esse decens, ut Confessarii sese immisceant, aut semetipsos insinuent, multò minùs, ut plebem invitent, & filios, aut filias spirituales studiosè quærant;

rant; de similibus enim metuendum est, nè fortè Confessionali se mancipient non ex fine antè dicto; sed potiùs ad satisfaciendum naturali suæ inclinationi, juvenilique impulsui, quò fors feruntur ad aliquid novi audiendum; unde consequenter timendum, eos ex omni suo labore & defatigatione parum aut nihil consecuturos præmii. Miratur non modicùm Divus Petrus Damianus, Jacob præ Esau benedictionem simul & primogenituram unà cum hæreditate Paterna obtinuisse; posteaquam tamen omnia, quæ Isaac Pater suus voluit, ac præcepit, omni cum accuratione *jussionem Patris implevit Genes. 27.* venatum ex præcepto illicò abeundo. Nolim ego præsumere hoc in passu defecisse Fidelitatem ac justitiam promittentis; quinimò resolutioni insistendo paulò antè mentionati Cardinalis *in Apolog. cap. 21.* dicendum potiùs habeo, in hoc sapientissimam juxta ac justissimam DEI illuxisse providentiam; Erat enim Esau Venator electione ultronea, venationem sponte sua, geniòque proprio secutus est, tempus hoc exercitii genere pro sua distractione consumpsit, atque per consequens, dum Patris sui Isaac præceptum executus est, id neutiquam egit ad obediendum, Patri-
que

que serviendum, sed ad naturali suæ inclinationi satisfaciendum; hinc non immeritò debitor sibi alioquin præmiò justissimè caruit. Idipsum & ego illis eventurum metuo, qui hinc indè cursitando, excipiendarumque confessionum venando filios aut filias spirituales quæritant; non enim videtur mihi, hos, similesque multum reflexionis ad Patrem Cœlestem vel virtutem obedientiæ facere, sed propriam magis sequi inclinationem. Faxit DEUS Altissimus! ut hæc ordinis inversio solùm sistat in carentia præmii, & non ejusdem locò severissima olim castigatione compensetur eorum labor, & fatigatio.

V. Deducitur secundò Confessarios non debere se magis applicare excipiendis confessionibus muliercularum, quàm Virorum; communi siquidem pretio, sanguine videlicet Christi JESU æqualiter redempti sunt Viri & fæminæ, capacesque æque gratiæ ejusdem & gloriæ, utpote ad quam totum creatum est genus humanum; videtur proindè haud posse occurrere motivum supernaturale, imò nec quidem rationabile majoris hujusce applicationis. Si quæ igitur in Confessario quopiam talis ad mulieres magis, quàm ad Viros adverteretur

proclivitas, suspicione profectò non careret finem illius esse abjectum, imperfectum, ac merè naturalem, qui magna ex parte impediret, aut saltem cum taliter admixta intentione Confessarii meritum operis & ministerii imminueret. Undè cùm merito talis Confessarii agi mihi videtur; velutì cum merito Matrimonii Jacob Patriarchæ, qui indifferenter ad Domum Labani pro matrimonio cum una filiarum ejus indefinitè contrahendo missus à Patre, se quidem quasi necessitate compulsus sociare debuit Liæ, verùm Rachelem ex primæva intentione semper intuens maluit se sociatum videre cum hac magis, quàm cum altera. Non absimiliter inquam mittitur indifferenter à Superiore seu Prælato quipiam, ut se in publico excipiendis sistat confessionibus, illique insigni cum obedientia pareat ordinationi; ast brevi post advertere licet, qualiter aversetur Lias, & inquirat Racheles; dicere volo quomodo Confessionalia virorum etsi pœnitentibus paucioribus circumdata, fugiat, seseque mulierum Confessionalibus intrudat; ut manifestè appareat eum è confessionibus virorum fatigationem, tædium & molestiam, è confessionibus verò sceminarum voluptatem percipere.

pere. Quis credet obsecrō? hujuscemodi Confessarium mundum ex integro? etsi enim opus hoc bonum sit, sanctum sit, ac sub quadam specie inchoatum, de quadam tamen imperfecta inclinatione sibi multum admixtum habet, & consequenter etiam haud parum valoris, meritique amittit; nec videtur esse possibile, Eum, qui adeò apertè suo deservit genio, finem supernaturalem quærere, qui tamen administratione Sacramenti hujus, ut bona esset ex integra causa, adesse debuisset. Delicatus est punctum hoc, quàm ut suam ulteriorem admittat ventilationem. Sed quid quæso de tali Confessario dicendum erit, qui displicentiam demonstrat; si quando suæ spirituales filiae confitentur alteri? qui quando vel absens est, vel Confessionale accedere nequit, illis sub obedientia præcipit, nè ulli confiteantur alteri, quàm huic, quem eis designat, & quasi Vicarium suum pro particulari hoc casu constituit? Talis estò meam experientiam quoad nostrum Ordinem lateat, quia tamen mihi aliundè notus est; fides adhiberi potest facilè, similes sollicitudines extraordinarias simpliciter esse superfluas, zelum talem, aut pseudozelum potius, contra filiorum DEI libertatem

tem manifestam esse tyrannidem, quæ à nullo Superiore, dum rescitur, per suos ultrà praticari in opere tam sancto admitti debet. Cæterùm nè in hoc, quod aliundè in se manifestè est inconveniens, longior evadam; sufficet omnibus his unicum adjicere; rem esse absurdam omnigenè, ut se quis Confessariorum, maximè nullius, aut modicæ canitiei excipiendis magis mulierum, quàm Virorum Confessionibus impendat; suisque non carere periculis ac discrimibus, qui talia atque taliter agere præsumit. Quorum si quispiam majorem haurire voluerit notitiam, Divum Thomam Aquinatem in quodam opusculo, cui titulus: *de periculis in familiaritate mulierum*; consulat, atque si id non suffecerit, pericula hæcce à Viris deputatis, ac in sacro Tribunali bene practicatis ad sui confusionem talis zelotypus, & tyrannicus Confessarius facilè rescire poterit.

VI. Deducitur Tertiò ex omnibus in materia simili dictis, Confessarium minimè decere spirituales suos sive filios, sive filias, nisi fors in necessitate valde perurgente, visitare; multò minùs à pœnitentibus quæpiam munuscula ultro necè oblata suscipere, aut, quod absurdus

dius est, petere; ratio primi est: quòd
 visitæ similes, maximè frequentatæ nihil
 sint aliud, quàm semetipsum insinuare,
 obtrudere, conservationem spiritualium
 filiorum aut filiarum quærere, atque se
 in officio Patris spiritualis stabilire; quàm
 reprehensibiles autem sint adhæSIONES
 hujuscemodi, jam aliàs dixi, & ultrà
 explicare vix sufficio. ratio secundi est:
 quòd Confessarius munera diligens eo-
 ipso manifestè prodat, se munus suum
 non obire ob finem supernaturalem, sed
 magis ob fines alios vilissimos, quales
 esse videntur utilitas propria & privatum
 commodum. Præterea indubitatum est,
 Confessarium debere esse Judicem in fo-
 ro conscientiæ, & quidem integerrim-
 um; at quis non perspexerit? nihil
 omninò æquitati, ac integritati recti Ju-
 dicii ità adversari, atque è diametro op-
 poni, quàm munusculorum admissio &
 acceptatio? hæc namque corrumpunt
 Judicem, ut venalem faciat justitiam,
 & juxta Divum Hieronymum *lib. 3.*
Comment. excæcant oculos insipientium;
ut scripturarum Authoritatem conver-
tant in Relaxationem, & promittentes
divitibus securitatem, cum solis paupe-
ribus severi sint & crudeles. Eousque
 devenère olim abominationes Balthasa-
 ris

ris Regis Babiloniæ Referente Daniele
 Propheta *cap. 5.* ut determinârit Altis-
 simus Judex delere eum, sententiâm-
 que ejusdem excidii propriis suis scripse-
 rit digitis: *apparuerunt digiti quasi ma-
 nus hominis scribentis contra candelab-
 rum in superficie parietis Aulae Regiæ.*
 Turbatus visione hac Balthasar, nec va-
 lens interpretationem ejus ab ullo ex Sa-
 pientibus Babilonis rescire; Danielem
 pro Interprete sub magnis munerum pro-
 missionibus sibi advocari fecit; *si ergo
 inquis, vales scripturam legere, &
 interpretationem ejus indicare mihi, pur-
 purâ Vestieris, & torquem auream cir-
 ca collum tuum habebis, & tertius in
 Regno meo Princeps eris.* Quid ad hæc
 Daniel Vir desideriorum? audacter re-
 spondit Regi: *Munera Tua sint Tibi, &
 dona domûs Tuæ alteri da.* & quid ultrâ?
 absque respectu ad purpuram, sibique
 divitiarum adpromissos thesauros Balt-
 hasari Regi potentissimo palam prædi-
 xit, quòd in pœnam ac supplicium sce-
 lerum suorum, quibus DEUM ad ira-
 cundiam provocaverat hac adhuc nocte
 interficiendus sit, dandûmque Regnum
 Ejus Medis & Persis: *Eadem nocte inter-
 fectus est Balthasar Rex Chaldaeus, &
 Darius Medus successit in Regnum. Da-
 niel.*

niel. s. O animum invincibilem ! O cor ab omni prorsus habendi cupidine alienum ! dignissimum planè , ut omnibus Ministris maximè pœnitentiæ , cedat ad imitationem ; quatenus à similibus pariter abhorreant , nè socii furum , & quidem sacrilegorum evadant.

VII. Deducitur demum quartò : minime oportere , ut Confessarius cum pœnitente suo se detineat ultrà quàm necesse sit ad satisfaciendum præcisè competenter muneri suo. Non diffiteor ; aliquam subindè detentionem esse necessariam , pro instructione nempe danda pœnitentibus , pro applicandis remediis animarum plagis ac vulneribus proportionatis , pro tribuenda consolatione mœstis & afflictis. Similis detentio est omninò justissima , atque magnopere commendanda ; quandoquidem huic contrarius , nimis videlicet festinanter procedendi modus idem esset , ac tondere solummodò conscientias in superficie , & radices vitiorum non evellere. Nequaquam ergo de istiusmodi detentione assero , sed de aliis longè diversis à principiis indifferentibus , occasionibus ; uti sunt v. g. intuitu conversationis , aut explorationis rerum ad Sacramentum pœnitentiæ impertinentium ; in quo sensu tam notoria

toria est hæc deductio, quàm certum
 est ejuscemodi detentiones non fieri pro
 Gloria DEI, & animarum salute, sed
 ob alios vilissimos, nè dicam absurdissi-
 mos fines. Meminisse oportet Pœni-
 tentiarium quemlibet Confessionale mi-
 nimè esse collocutorium, consequenter
 nequaquam decere, ullomodo eodem
 debere abuti in conversationes & gar-
 ritiones similes, fortè etiam subindè
 cum neglectu chori, quas alibi habere
 non posset, nec eæ illi in alio quovis lo-
 co admitterentur. Confessionale siqui-
 dem locus sanctus est, atque hocipso
 sanctè tractandus, nequaquam verò à
 fine, qui major est DEI gloria, anima-
 rumque salus, per quæcunque etiam
 num indifferentia profanandus. Magnus
 Doctor Gentium Sanctus Paulus 2. ad
Timoth. 2. scribens. mirabilem bono-
 rum operum facit trutinacionem, & post
 eam resolutissimè subjungit : quòd solùm
 ille coronabitur, qui legitimè certaverit.
 cur quæso addit Apostolus : legitimè?
 cur ad coronam non judicat sufficere :
 Si certaverit? Divus Thomas Aquinas
 1. 2. quæst. 56. art. 45. scrupulum hunc,
 & quæstionem resolvit, ità dicendo :
quia etiamsi id, quod agitur, bonum sit,
si tamen non fiat legitimè, seu juxta
præ-

præscriptum legis, perdit efficaciam meritorem. Meritum siquidem ut ait Eiusdem Doctoris Angelici Magister & Præceptor Albertus Magnus in suo *Compend. Theol. l. 5. c. 12. non consistit in verbis, sed in adverbis.* Verba sunt e. g. exaudire confessiones, concionari, Missam celebrare, atque his similia; adverbia verò sunt: *bene, rectè, debitè, attentè*; & reliqua, quæ ratio ipsa dicitur pro unaquaque materia, totumque id requiritur ad legitimè certandum, sive operandum, ut coronam quis pro merito accipiat & reportet; uti ex ipso præmentionato Apostolo constat. Jam si quispiam Confessariorum toto etiamnum tempore antemeridiano in Confessionali sese detineat, tempusque hoc inutilibus, minusque necessariis terat confabulationibus, aut etiam interpolatim hujuscemodi sermones immisceat; clarum erit, quòd opus hoc Confessionum excipiendarum de se cæteroquin sit bonum, talis tamen non faciat *bene*, nec observet adverbia: *debitè & devotè*; quæ tamen in materia adeò gravi, in loco tam sancto meritò observare deberet; & vel maximè cum Confessionale non ut Petrus, vel Francisus, verum ut Vicarius Christi, qui est Ipsa Sanctitas,

tas, accedere, illúque administrare habeat. Contra hæc quamvis non tam facilè quis Confessariorum excedendi obtineat occasionem ruri, nihilominus tamen & rurales & Urbanos Confessarios pro horum adhuc complemento commonere volui, quatenus opus sibi concreditum non faciant in ullo loco fraudulenter, sed jugiter agant bonum bene, stabilesque & immobiles sint. in opere DEI semper, scientes, quòd labor pro Gloria DEI depuratè exanthlandus non sit futurus inanis in Domino.

§. II.

De Concionatoribus.

I. Quòd *Concionatores* immediatè hic jungam Confessariis, eosque inter *Proficientes* collocem; aliam vix rationem teneo, quàm, quòd licentia prædicandi Verbum DEI regulariter in Ordine Nostro Candido comitetur licentiam auriculares excipiendi confessiones; quòdque illi in modica adhuc ætate munus hoc inchoent, in quo non paucas admiscere assolent imperfectiones; non obstante, quòd attenta ministerii hujus eminentia magnopere perfecti jam esse debe-